

AD
SACRA NATALITIA
SERENISSIMI NOSTRI PRINCIPIS AC DOMINI
DOMINI
LVDOVICI GVNTHERI

PRINCIPIS SCHWARZBURGI REL.
PATRIS PATRIAE OPTIMI AC MVNIFI-
CENTISSIMI
IN GYMNASIO NOSTRO

D. IX. NOVEMERIS DEBITO PIETATIS CVLTV CELEBRANDA

PERILLVSTRES ATQ. EXCELLENTISS. SACRI TRIBV-
NALIS PRAESIDEM SPLENDIDISSIMVM MAGNIF. ILLVSTRES
PLVRIMVM VENERABILES CETEROSQVE FAV-
TORES ET AMICOS



PAVCA DISPVTANS
DE
PATRIAE AMORE

EA, QVA DECET, ANIMI OBSERVANTIA
INVITAT
M. IOANNES HENRICVS SCHOENHEYDE,
GYMN. FRIDER. CONRECTOR, ET MENS. GRAT. INSPECTOR.

RVDOLPHOLI,

LITTERIS HAERED. LOEWIANOR.

Philos.

G.

226, 18

NO
SACRA NATALITIA
SELENSIS ROGERI IN CHA AC DO LIND
DOMINI
LUDOVICI GANTHERI
PUNOIS SCHWANNBERGER
PATRIS PATRIAE OPTIMI AC MNIER
OPTIMI
IN CLAUDI TORO
D. IX NOVEMBERIS ANNO MDCCLXXII

PERMISSUM EST EXCERPTUM SACR. TRIBV
HABIT PATRIAE OPTIMI AC MNIER
OPTIMI
TORO M. ANCO

PATRIAE AMORE

ET QUI BICL. ANNO GERVANTIA

M. JOHANNES
Sächsische
Landesbibliothek
Dresden

LITTEBIS BAKED. LORWISER



Honestissimum, atque optimum quemque patriae esse amanti-
tissimum, vel veterum praecipue monumenta legenti, vel
ad vitam duntaxat hominum attendenti, dubium esse pot-
est nemini. Huius autem erga patriam amoris vis tanta est,
ut satis de eo dici non possit. Quae enim res tam cara, et tam sancta
unquam fuit, cui, compertum non sit, patriam esse praelatam? Quid
praesertim omnibus mortalibus vita iucundius, cariusque est? Ei ta-
men, in maximo semper pretio habitae, patriam anteponi, mortem-
que ipsam, quae pro ea oppetatur, honestissimam, ac generosissimam
existimari, scimus. Quid? non pro patria modo, verum in ea etiam
vitam ponere, maxime optabile, gloriosumque ducitur. Quo factum
est, ut patriae amor omni tempore causa fuerit factorum maxime mi-
rabilium, de quibus infinitum est commemorare. Quaerere tantum-
modo libet, quid sit, quamobrem ad patriam solum tam eximia cari-
tate diligendum hominum animi alliciantur, atque invitentur.

Vehementi illa, ac furori simillima patriae caritate, cuius passim
in praeursorum populorum historia expressam videmus imaginem, prae-
termissa, de causis tantum, a quibus ordinatam, moderatamque esse
repetendam, putemus, paucis differere animum induximus. Liben-
ter quidem largimur, si unum aliquem spectes hominem, varias, eas-
que satis complicatas, ac reconditas causas esse posse, quibus permo-

tus, patriam aut unice amet, aut odio acerbo insectetur, de quibus iam, cum praecipua solum omnium gentium, hominumque hortamenta ad patriam magni faciendam summatim persequamur, exponere nihil attinet.

Primum faxeus sane, ac ferreus sit, oportet, in cuius venis, ac visceribus non sint inclusa beneficia, quae patriae refert accepta. Quae cum prima cuiusque alrix, et conservatrix, quin communis omnium, qui sunt eiusdem gentis, quasi parens iure optimo habeatur, quid mirum, illius amorem, omnibus a natura infixum, haerere, et, quicquid in eam recte fit, pietatem, quicquid perperam, scelus appellari?

Deinde dici permulta possunt, ex quibus intelligatur, admirandae hac in re providentiae divinae, rebus omnibus creatis vel minimis sapientissime prospicientis, expressa existare vestigia. Fac enim, hominum animis non esse ingenitam natalis soli caritatem, sed odium potius, atque cupiditatem alias inhabitandi, incolendique terras, in quanta confusione, et perturbatione hominum gentem versari, necesse est?

Non est, quod putemus, patriae amandae studium, omnibus ingeneratum, peculiari Dei mandato, quo quispiam iussus, patria relicta, terrae peregrinae fiat incola, tolli. Nec audiendus est Seneca, *) qui, patria pulsus, dolorum solatia, et fomenta paraturus, exsiliique notionem, quam potest mollissime, interpretaturus, in omnium animis inesse naturale desiderium sedes commutandi, et domicilia transferendi, vario argumentorum, exemplorum, similibumque apparatu confirmare, et declarare conatur. Neque tandem est, quod nos de sententia deducat insana cupido, qua peregrinas terras veluti nostra memoria Americam incolendi populi quidam perstimulantur. Has enim causas exteris regionibus natale solum postponendi existere posse, patriae prioris amore haudquaquam penitus exciso, atque extirpato, facile est existimatu.

Tum ad patriae amorem alendum, augendumque non parum conferunt suaves illae imagines, quas morum, et consuetudinis simplicitas,

*) Senecae consolatio ad Helviam matrem, Cap. 6.

placitas, quae imberbem aetatem comitatur, item loca, quibus adsuevimus, in quibusque eorum, quos diligimus, aut admiramur, adsunt vestigia, imprimere in animis solent. Ex his efflorescit spes blandissima illa quidem, sed fallax saepe, ac lubrica, futurum, ut, quibus in locis inter vitam, a qua fraus, invidia, ceteraque mentium humanarum de-honestamenta longe aberant, prima aetas iucunde est traducta, in eis extremo etiam tempore nostro tranquillissime senescamus. Quanto-pere praesertim hominum animi locorum notitia moveantur, consuetudo comprobatur colonorum, utpote qui novam plerumque urbem ad patriae urbis imaginem exstruere, ceteraque, quibus patriae sedis similitudo obici oculis potest, imitari soleant. Periucunda lectu sunt, quae hanc in rem de Heleno Priamide tradit divinus ille in moribus, ingenisque hominum depingendis poeta Virgilius. Is, heroa, modo memoratum, parvam Troiam, parvas Troianas arces, magnis assimilatas, Xanthum, Simoëntaque notos Troianos fluvios effinxisse in Epiro, referens, *) non declarat modo, quantum patriae conspectu captus, ac delinitus fuerit Helenus, sed quam miro in universum locorum, in quibus quisque adolevit, amore hominum genus teneatur. Huc pertinent etiam, quae de Iride vaferrima Iunonis nuncia vates, modo laudatus, habet. **) Ea, Troadas in eum actura furorem, ut, incensis navibus, novo vulnere cruentetur, ac laceretur Aeneae pectus, in eo potissimum eloquentiae vim expromit, ut cupiditate loca, quae patriae urbis conspectum referant, videndi inflammentur. Namque, sic furentes, omnia, quae huic rei obstarent, cupidissime remoturas, classemque, id quod eventus docuit, Iunone in primis hanc rabiem iuvante, crematuras, cognitum, perspectumque habebat.

Postremo superest incitamentum ad patriam amore complectendam omnium maximum, quod in principum curis, consiliis, laboribusque, quibus pro civium salute vigilant, recte ponitur. Omni quidem tempore Dei immortalis vim, ac numen boni principes obtinere existimandi sunt. Verum nescio, quo malo hominum fato, vitiove fiat, ut, quanta sit felicitas, principe frui, cuius curae, et cogitationes in eo evigilant,

A 3

*) Virg. Aen. L. 3. v. 301-305. v. 349-351. v. 497 et 498.

**) Virg. Aen. L. 5. v. 631-634.

lant, ut ciues in suo quisque vitae studio sint felices, atque incolumes, aduersis magis, quam secundis rebus sentiatur. Horribiles tempestates, quae per aliquot annos funestissimos regiones admodum multas infestauerunt, numine, atque auxilio Dei, cuius nutu, et consilio res humanae administrantur, discussas, ac propulsatas esse, magnopere laetamur. Nonne autem his malis etiam tum, cum maxime urgebant, relevata, ac recreata illa sibi terra videbatur, in qua principes suo vigilandi labore, quicquid humanis consiliis provideri potest, ad tantam malorum molem amovendam contulerunt? Nonne, eximio, ac singulari Dei munere fieri, quisque intelligit, ut rebus acerbis is maxime princeps regioni cuiusquam imperet, per cuius gratiam solam si stet, nulla re egeat quisquam, sed omnes sint beatissimi, ac florentissimi? Quemadmodum vero insignis illa cura, qua principes optimi saluti civium quavis ratione consultum cupiunt, efficit, ut venerando patris patriae nomine sint dignissimi, ita eandem ob causam omnium animos maxima incessat cupido, oportet, eiusmodi patriam beatam plurimum, at penitus diligendi, eiusque commodis, atque emolumentis summo studio inserviendi.

Quod si his cogitationibus occupati, oculos ad patriam nostram convertamus, immensum quiddam, et infinitum esse, sentiemus, quod debetur Deo, per quem ita nobis licet esse felicibus, ut maxime amabilem, iustum, clementem, pium, omnibusque, quibus verus Patriae Pater agnoscitur, virtutibus ornatum principem veneremur. Malorum, ex quibus erepti Deo secundo sumus, tristissima imago ad id semper ob oculos versetur nostros, ut propter beneficiorum multitudinem, quibus in maxima malorum acerbitate quisque fuit sublevatus, nullum amoris, nullum studii, nullum pietatis erga patriam officium a nobis unquam desit, neque, quantum divini numinis sit munus, principi bono, et tristissimis temporibus cives quibuscunque rebus iuvanti, parere, rebus vel maxime ad voluntatem fluentibus, cogitare tempore ullo intermittamus.

Hodiernus in primis dies iucundissimus, atque illustrissimus occasionem nobis admovet patriae nostrae de prosperrimo rerum suarum cursu gratulandi. Etenim quis tam sine sensu sit, quin summis gaudiis exultet, cum Deus immortalis ad innumera beneficia, quibus nos singulis diebus afficit, et cumulat, illud maxime, quod omnium
votis

votis semper expetitur, adiecit, ut *Serenissimum Patriae Patrem*, hucusque maximis in periculis, quae undiquaque nemini non impendere videbantur, saluum, incolumemque servatum, inter laetissimas civium acclamationes die suo natali laetantem adspicere, atque admirari contingat? Inter maxima reverentiae studia, quibus pro sua quisque vitae dignitate *Serenissimum Patriae Patrem*, qui omnibus in amore, ac deliciis est, profequitur, Deoque de *Principis* incolumitate conservata pariter, atque amplius tuenda iustos, ac debitos habet honores, ipse quoque, beneficiorum utique, quibus per divinam plane *Principis* gratiam sum ornatus, memor, summo pietatis officio adductus, Deum *pro Patriae Patris* prosperitate dies, noctesque omnibus precibus rogare, et orare, dum vocer ad exitum vitae, perseverabo. Vota igitur rata sint nostra, ac **LVDOVICVS GVNTHERVVS** *Serenissimum Patriae lumen et ornamentum*, felicissima, atque exoptatissima terris Schwarzburgicis imperandi facultate per longam aetatum seriem secundo vitae cursu ita utatur, ut gaudiis liquidis, ac sinceris, quibus *Illius* die genitili quisque perfunditur, novus semper accedat cumulus, Deum totius universi rectorem precamur, veneramur, atque imploramus.

Serenissimo etiam Principi haeredi **FRIDERICO CAROLO**, eiusque coniugi *Serenissimae* **FRIDERICAE SOPHIAE AVGVSTAE** novam in dies singulos laetitiam agitandi copiam offerat Deus, faxitque, ut *Principum Schwarzburgicorum* fama, et gloria per huius auspiciatissimi connubii pignora carissima ad seros posteros propagetur.

LVDOVICVS FRIDERICVS, **THERESIA SOPHIA HENRIETTA**, **CAROLVS GVNTHERVVS** stirpis Melapyrgicae flos, ac robur ita in communis salutis spem succrescant, ut annorum non minus, quam rerum secundissimarum augmentum quotidie cum *Serenissimo Patriae Patri*, tum *Serenissimis Parentibus* gaudia afferat maxima, ac solidissima.

Serenissima etiam Patris Patriae Filia gratissimis fortunae, ac prosperitatis muneribus quam diutissime perfruatur. Universam denique domum Schwarzburgicam, rebus florentissimis subinde augescentem, non terris modo Schwarzburgicis voluptati, ornamento, et firmamento, verum gentibus etiam remotissimis admirationi, dum genus

nus

nus erit humanum, Deus, esse, iubeat. Tres praeterea Gymnásii nostri iuvenes, *) qui et ipsi suam exoptatissimo *Serenissimi Patriae Patris* die genitali pietatem testificandi summa dulcedine feruntur, precibus meis suas adiungent, orationunculas, quas hoc consilio habere gestiunt, piis votis finituri. Quos ut audire secundis auribus Proceres nostri, suo quisque nominum honore ornandi, ceterique Fautores, atque Amici dignentur, eo, quo quemque decet, reverentiae studio rogamus.

*) I. FRIDER. CHRISTOPH. ERNEST. TREVNER, Ellichlebensis, moribus modestissimis non minus, quam diligentiae assiduitate felici successu in litterarum studio versans, *civium esse, Patriae patriae diem natalem publica solennitate celebrare, fermone patrio manifestum facere studebit.*

II. IO. GEORG. SCHILLING, Rudolstadt. moribus suavissimis, ingeniique, quo pollet, excolendi studio nemini facile aequalium cedens, *de multiplici Physicae disciplinae usu* orationem habebit latinam.

III. IO. ERNEST. LVDWIG, Rudolstadt. qui, bene se gerens, ingeniumque promptum doctrinis studiose expoliens, spem sui optimam excitat, *eloquentiam pectorum reginam merito, ac iure dici*, lingua domestica probatum ibit.

Scribebam e museo, Rudolphipoli, die 4. nonas Novembres,
A. MDCCCLXXII.

